



FERTILIS agnatis regio circunscita Iberis
Quà grauidæ surgunt fruges, gratoque virescunt
Pinguibus in campis vineta madentia Baccho,
Imperium latè terræ mariq; gerebat:
Inque potens Regnum deducta est, Orbe redempto
Exactis lustris vndena ad secla duobus.

Quæ quod blanda quies, statio opportuna carinis,
Aut portus fuerit venientibus aquore Gallis,
Antiquum retinet modo Portugallia nomen.

Hanc dedit Henrico Lotaringo ob martia facta,
Et bello partos titulos, clarosq; triumphos,
Regia sceptra tenens Castellæ Alphonsus aquosæ,
Dum Saracenorum spolijs, atque hoste perempto,
Oppressam immitti miseraq; Tyrannide gentem
Hispanam externa victor formidine soluit:

Et Sa-

Amnibus innumeris præceps defertur Iberus, 287386

Quattuor & longa regiones terminat ora.

Amne Pelandoniis descendens collibus amplio-

Durius, irriguis Lusitanos terminat vndis

Vna parte: Alia latebrosis ecce cauernis

Millia per septem se occultans atque resurgens,

Occiduo Guadianus Anas sese aequore mergit,

Præteriens tenui extremas curuamine Duras.

Aurifer è medio, diti vicinus Vlispo

In mare prorumpit Tagus auricoloribus vndis.

Ipseq; in occiduum celso sub vertice Calpes

Labitur Oceanum diuerso tramite Betis,

Betis olin ifera linquens sua nomina terræ:

Aurea perspicuis intingit vellera lymphis.

Qua post Vandalicis exhausta furoribus, uti

Vocibus est duris victorum sape coacta,

Et Vandalicia vulgari nomine dicta,

Nunc Andalusia est corrupta voce vocata.

Gens elata grauis, & fastu plena superbo est,

Plena superstitione, & anili vana timore,

Indolis egregiae, atque inuicto robore prestans,

Doctrina cupida, & saevis aptissima bellis.

